

physice prædeterminante, quia non est ita collapsum liberum arbitrium per peccatum, ut non possit sublevari ad illum actum efficiendum per aliud auxilium supernaturale præveniens et cooperans etiam efficaciter ex suavi providentia Dei, sine illa intrinseca vi et physica prædeterminatione, quæ in nullo statu fuit necessaria nec possibilis salva libertate. Addimus vero Molinam in illa sententia de contritione naturali nullam habere peculiarem doctrinam, quæ inter probatos Doctores vulgata non sit et insinuata a Conciliis, cum addunt illam particulam *sicut oportet*; loquitur enim de contritione imperfecta et inefficaci, quæ nec meritoria sit, nec dispositiva ad gratiam, qualem habere posset homo etiam in puris naturalibus; sed de hoc alias.

*Decima tertia objectio.*—Hæc item objectio non fit directe in defensionem gratiæ physice prædeterminantis, sed contra aliud dogma quod nobis imponunt, scilicet, posse hominem sine auxilio Dei vincere quamcumque tentationem gravissimam, non consentiendo illi pro sua libertate, quia ad hoc libera mansit voluntas etiam post peccatum. Objiciunt autem quia similem doctrinam et argumentandi modum refutat Augustinus in Pelagium, lib. 2 de Peccator. merit., c. 4 et 5, et in Cassianum Prosper, contra Collatorem, c. 14.

Verumtamen quidquid sit de illo dogmate, hoc firmum sit et constans, ad vincendam gravissimam tentationem, non esse necessarium auxilium ita de se efficax, ut physice prædeterminet voluntatem ad dissentum, imo neque esse possibile, si victoria tentationis debet esse libera et laude digna, sufficiensque esse ac necessarium præveniens auxilium supernaturale, quod etiam erit congruum, et habebit effectum si ex proposito detur. Quid vero possit in non consentiendo tentationi gravissimæ liberum arbitrium per se spectatum, et absque supernaturali auxilio Dei, sed solum cum concursu generali relictum, alterius considerationis est. Absolute tamen loquendo, fatendum est necessarium esse auxilium gratiæ ad vincendas hujusmodi tentationes, non solum collective, quod est certissimum, sed etiam in individuo, seu singulariter, quando tentatio gravissima est et diuturna, atque in illis locis quæ ex nostro opusculo de Auxiliis in illa objectione citantur, nihil huic veritati contrarium invenietur. Primus enim locus est ex lib. 2 de Auxiliis, capit. decimo quinto, num. decimo septimo, § *Si autem*, in quo nihilego disputo deviri-

bus arbitrii ad vincendas tentationes, sed ago contra illos qui dicunt prædeterminationem physicam esse necessariam ad omnem actum bonum moraliter, etiamsi sit ordinis naturæ seu virtutis acquisitæ, et nihilominus non esse necessariam ad aliquem actum moraliter malum. Quod impugno, tum quia alias non potest bonum opus morale fieri, etiam in uno singulari actu quantumvis minimo, cum communi influenza, sine auxilio gratiæ; tum quia alias voluntas esset de se determinata ad malum nisi ab extrinseco determinetur ad bonum; tum denique quia nulla ratio discriminis dari potest, cum dependentia a prima causa in omni actu, tam malo quam bono, sit essentialis, et sola bonitas moralis non excedat proportionem naturæ. Ex qua doctrina nihil de naturali sufficientia liberi arbitrii ad vincendas gravissimas tentationes colligi potest, neque ibi verbum invenio quod ad hoc imponendum arripere potuerint. Nisi forte in hoc hæreant quod assero, *actus morales proportionatos naturæ sufficere regulariter ad vitandum peccatum commissionis*. Sed nimia esset lex in ferenda licentia; tum quia ibi non agitur de victoria tentationum, sed solum de cavenda morali malitia in aliquo actu, et ad hoc dicimus sufficere, ut habeat bonitatem proportionatam naturæ; tum etiam quia addimus *regulariter*, nam in aliqua occasione potest requiri major bonitas, et inter alias occasiones una esse potest si tentatio adeo urgeat, ut ad illam vincendam necessaria sit altior bonitas; tum denique quia ibi solum excludimus necessitatem physice prædeterminationis, et non tractamus de aliis viribus ad bonitatem illam exercendam necessariis. Alter locus citatus est ex libro tertio de Auxiliis, c. 12, in quo nihil prorsus invenio ad illud punctum pertinens, sed solum ad excludendam necessitatem physice prædeterminationis. Molina item in dict. disputation. 14 nihil aliud docuit; addidit vero subtilem quamdam considerationem ad explicandam libertatem necessariam ad hoc, ut succumbere tentationi culpa sit. Unde inquit in gravi ac molesta ac diuturna tentatione, pro singulis instantibus divisim designatis, habere voluntatem potestatem non consentiendi ex vi suæ libertatis, quia alias non peccaret consentiendo, quamvis absolute toti illi tentationi resistere non valeat sine lapsu, si auxilio gratiæ destituatur. Quod nullum habet errorem, quidquid sit de illius veritate aut certitudine; sed de hoc alias.

*Decima quarta objectio.*—Objiciunt nobis, quod asseramus doctrinam illam de necessitate physice prædeterminationis, novam esse et a sanctis Patribus non traditam, quod etiam Augustino objiciebant Semipelagiani, ut constat ex epistola Prosperi ad Augustinum. Hæc vero objectio efficacius posset in auctores retorqueri, ipsi enim non solum in hac materia de auxiliis, et de vocatione congrua, et de scientia conditionatorum, sed etiam in omni opinione quæ ipsis non probetur, statim clamitant esse rem novam, et inauditam; imo hoc maxime nobis objiciunt, quod simus novitatum amatores. Quod cum revera non ita sit, cogimur eis satisfacere ac respondere, quod quidem in generali tam facile fieri potest, quam etiam est facile generaliter hoc affirmare seu opponere. Sed quia utrumque nullius est momenti aut æstimationis nisi ad particularia descendatur, ideo in particulari et in singulis rebus nobis necessarium est veritatem examinare et ostendere, quod maxime curatum est in hoc puncto de physica prædeterminatione, tum quia gravissimum est, tum etiam quia multum pendet ex auctoritate Patrum, præsertim Augustini; tum maxime quia timemus favere Calvino, qui sententiam illam procuravit Augustino adscribere. Parum ergo refert quod Semipelagiani simile quippiam Augustino objecerint, si non in simili causa, nec simili veritatis fundamento id fecerunt; hoc igitur pendet ex probationibus quibus doctrinæ novitas confirmatur. Unum tamen addam, nos non aggrediendo (ut sic dicam), sed defensionis gratia coactos esse ad id declarandum et confirmandum; cum enim videremus confundi gratiam efficacem, de qua Patres antiqui loquuntur, cum gratia ex se efficaci et prædeterminante ad unum voluntatem humanam ante liberam cooperationem ejus, necessarium fuit separare doctrinam antiquam ab ea quæ nobis nova videtur, quia nullam illius mentionem in Patribus invenimus.

*Decima quinta objectio.*—Conqueruntur de nobis, quod asseramus sententiam de physica prædeterminatione esse eandem cum sententia Lutheri et Calvinii, ut illi doctrinæ et auctoribus ejus infamiam irrogemus. Quod etiam (inquiunt) servata proportione fecerunt Pelagiani et Semipelagiani contra Augustinum, ut videre licet apud Augustinum, l. 2 contra duas epist. Pelag., cap. tertio, sexto et octavo, et lib. 1, cap. 20, et l. 4 contra Julian., cap. octavo, et epist. Prosperi et Hilarii. Sed in

his locis nihil invenio quod ad rem præsentem faciat; est enim advertendum aliud esse argumentari, inferendo ex una sententia alium errorem, quod in illis locis faciebant Pelagiani et Semipelagiani, et nos etiam facimus, quando ex necessitate physice prædeterminationis inferimus auferri libertatem et auxilium sufficiens, et similia; et faciunt etiam adversarii quando, ex eo quod nos negamus auxilium physice prædeterminans, inferunt negare nos auxilium efficax et auxilium præveniens, et similia. Quod ergo in hac objectionem opponitur non pertinet ad hoc genus argumentandi, sed ad alia in prioribus oppositionibus objecta et tractata, ubi præcæditis locis Augustini et Prosperi satisfactum est.

Aliud igitur est asserere sententiam aliquam, a Catholico auctore prolatam, esse eandem cum sententia aliqua Hæreticorum, non per illationem, sed per identitatem et formalitatem, et huc pertinet decima quinta objectio, in qua aliquid admittimus et affirmamus quod jam ipsimet Catholici Patres, cum quibus disputamus, non negant: absit vero ut quippiam aliud quod infamiam contineat proferamus. Duo ergo Calvinus hoc tempore asseruit (omisso Lutero, de quo nullam mentionem facimus): unum est, efficaciam prævenientis gratiæ talem esse, ut ex se et ex sua naturali virtute et conditione determinet voluntatem hominis ad unum; aliud est, quod hinc intulit voluntatem hominis non consentire libere, sed ex necessitate gratiæ moventi; nos ergo nunquam asseruimus dictos Patres convenire cum Calvino in hoc secundo puncto, quæ fuisset injusta et falsa infamatio; asserimus vero in primo assentire directe et formaliter cum illo; de hac autem tanquam de infamia conqueri non possunt, cum ipsimet Romæ publice et in conspectu orbis hoc fateantur. Consequenter vero negant Calvinum errasse in priori dicto, sed in secundo, in quo hæreticus fuit, quia propter illam illationem admisit damnatum dogma; igitur nullum habent fundamentum ut in hoc de nobis specialiter conquerantur. Nam quod ulterius nos asseramus illationem Calvinii fuisse bonam, errasse tamen in illo principio, non est cur infamiationi tribuatur, cum ad doctrinam fidei explicandam maxime necessarium sit, ideoque auctores omnes, qui contra Calvinum specialiter scripserunt, eadem via et ratione progressi sunt.

*Decima sexta objectio.*—Conqueruntur eo



quod asseramus doctrinam negantem physicam prædeterminationem, et efficaciam gratiæ antecedentis liberam cooperationem arbitrii, esse probabilem, ita ut saltem damnari non debeat; quod etiam Hæretici in suis dogmatibus procurant, ut videre licet apud Augustinum, lib. 2 de Peccato originali, cap. 4. Mirabilis profecto querela; quid enim mirum si dicamus esse probabile, quod censemur esse verum; aut quomodo potest Catholicus Doctor defendere sententiam aliquam ab omni nota et censura, nisi ostendendo saltem esse probabilem. Multo certe majori ratione nos conqueri possumus, quod ipsi audeant dicere dogma illud de physica prædeterminatione non solum probabile, sed etiam certum esse, cum nullo firmo fundamento illud ostendere valeant. Quod autem Augustinus in citato loco tractat, valde diversum est; agit enim de dogmate peccati originalis, quod est Catholicum, et in Scripturis expressum, et consensu Ecclesiæ receptum. Hujusmodi ergo dogma ad materiam opinabilem revocare, Hæreticorum proprium est, et hoc est quod proprie agit ibi Augustinus; sentire autem dogma de physica prædeterminatione tale esse sine definitione Ecclesiæ, præsumptuosum est.

*Decima septima objectio.* — Conqueruntur iidem quod asseramus omnes defensores efficacis gratiæ ex se, et prout venit a Deo, qui contrariam sententiam damnant tanquam veritati fidei contrariam, esse minus doctos, minusque idoneos ad iudicium ferendum. Quod (inquiunt) mirum non est, nam Pelagius in eadem causa Augustinum vocavit imperitissimum, ut in eo legimus, l. 2 de Gratia Christi, cap. 1, vel potius lib. 1, c. 7.

Hæc objectio non pertinet ad doctrinam, sed ad factum cujusdam detractionis et temerarii iudicii, de quo facto mihi non constat, neque ab arguente citatur liber, vel scriptura aliqua, nec persona, aut aliquid in particulari, sed generatim dicitur ita publice divulgari aut prædicari a Patribus Societatis; ego vero vere profiteor me nunquam id audivisse, neque publico neque privato sermone. Duo autem ibi attinguntur: unum pertinens ad doctrinam, aliud ad affectum spectans. Quod ad primum attinet, nullus profecto, nisi sit nimis arrogans ac temerarius, audebit dicere omnes defensores physicæ prædeterminationis, alias Catholicos, esse in Sacra Theologia parum doctos et eruditos, cum constet multos doctissimos viros eam sententiam tueri, neque existimo prudentes viros Societatis con-

trarium unquam cogitasse, nedum dixisse. Mirantur autem interdum cum vident alios Theologos ita suæ sententiæ adhærere, ut eam solam velint esse doctrinam fidei, et contrariam hæreticam, et quoad hoc solum punctum interdum fortasse dicent iudicium illud, et censuram procedere, aut ex defectu aliquo eruditionis et doctrinæ in tali materia, vel ex nimio affectu ad propriam sententiam; quod quidem, licet laudabile non sit, est tamen excusabile, quia revera est difficile reddere aliam rationem illius censure. Unde quod ad alteram partem de affectu pertinet, clarum est illos Theologos, qui semel ac publice illi sententiæ cum tanto affectu adhæserunt, non esse ex hac parte idoneos ad iudicium ferendum inter utramque sententiam, et maxime quando affectus non sistit in doctrina, sed transit ad personas; at hoc cogitari aut dici poterit (licet non debeat) de aliquo in particulari, non vero de omnibus, neque mihi verisimile erit, nisi aperte demonstretur.

*Decima octava objectio.* — Conqueruntur nos dicere Patres Prædicatores ex invidia et odio persequi in hac parte Patres Societatis. De quo etiam conqueritur Augustinus contra Julianum, l. 4 contra illum, in principio. Nos vero statim notamus diversitatem inter Augustinum et hos Patres: nam Augustinus statim designat locum in quo Julianus contumelias et verba maledica protulerat, scilicet, in quatuor libris quos contra Augustinum scripserat; at dicti Patres neque ostendunt neque ostendere possunt ubi a nobis verba similia dicta sint. Deinde addimus multo majori ratione posse nos imitari Augustinum, qui ibidem de Juliano conqueritur, quod se et alios Patres Manichæorum nomine involvebant, intolerabilem illis injuriam facientes. Similis enim offensionis est Catholicos viros tam frequenter et absque ulla veritatis umbra Pelagiani erroris suspicione infamare. Denique cum Augustino eodem loco dicimus: *Auferamus de medio, si placet, ista communia que dici ex utraque parte possunt, et nescimus qua ex parte vere dicantur, et de sola causa sincere disseramus.*

*Decima nona objectio, alias vigesima.* — Etiam hæc non est objectio contra doctrinam, sed contra aliam dicitationem quam referunt, quod, scilicet, dicamus causam hanc de efficacia gratiæ esse gravissimam, neque posse determinari, cum præsertim nos non simus plene exauditi, et in nos convertunt verba quæ Augustinus contra Julianum dixit, libro

primo contra duas Epist. Pelagianorum, in ultimis verbis ejus: *Execrabilia dogmata tenentes et seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam*; itemque verba Prosperi in fine libri contra Collatorem: *Venerabilis Pontifex Celestinus, sciens damnatis non examen iudicii solum, sed pœnitentiæ remediū esse præstandum, Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italie finibus jussit eatrudi; ab eo et prædecessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Ab hoc vero unico verbo, ex Augustino in loco proxime citato respondendum censeo, *totum hoc contemnendum potius esse quam referendum.* Aliud est enim agere contra eos qui execrabilia dogmata defendere volebant, contra quos Augustinus et Prosper scribunt; aliud vero est alloqui contra illos qui cavere student ne execrabile dogma Calvinii sub specie aut nomine physicæ prædeterminationis in Ecclesiam introducat. Quæ res licet gravissima sit, non ideo putamus non posse definiri aut determinari; imo credimus jam esse definitam a Concilio Tridentino, et non esse difficile clarius a Pontifice definiri, quando ipse voluerit.

*Vigesima objectio, alias decima nona.* — Hæc objectio redit ad doctrinam de gratiæ efficaci, et maxime fit contra efficaciam, quam Deus habet circa nostra opera pietatis, vocando, inspirando, excitando et dirigendo gressus nostros, quam nos interdum dicimus esse moralem, et secundum illam interpretamur locutiones illas Scripturæ: *Deus facit ut velimus et ut faciamus; Convertit corda nostra; Operatur in nobis velle.* Peculiariter ergo contra hanc interpretationem objiciunt, quia hoc modo interpretabatur Pelagius illud ad Philipp. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, ut refert Augustinus, l. 4 de Gratia Christi, c. 40; verumtamen hæc objectio specialiter fit contra doctrinam nostram, libro tertio de Auxiliis, capite duodecimo, numero tertio; et ideo in sequenti capite illi ex professo satisfaciemus. Nunc solum ad locum Augustini, respondemus errorem Pelagii fuisse, *nihil aliud esse gratiam qua Deus operatur in nobis velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam.* Hæc enim sunt expressa verba Augustini, nam ut supra vidimus, Pelagius solum per externas promissiones, prædicationes, exempla, et si-

milia, putabat homines excitari, et per hoc tantum dicebat operari Deum in nobis velle et perficere. Paulus autem in illo loco loquitur de operatione Dei per internum Spiritum gratiæ. Et eodem sensu intelligenda sunt similia Scripturæ loca. An vero per illam interiorē gratiam Deus operetur physice, vel moraliter, vel utroque modo; et an respectu consensus gratia excitans, ut sic, solum habeat efficientiam moralem, physicam vero prout transit in adjuvantem, nunquam est ab Augustino cum Pelagianis expresse disputatum, sed pertinet ad Theologica dogmata, de quibus satis in superioribus dictum est.

## CAPUT XLV.

SATISFIT NONNULLIS OBJECTIONIBUS SPECIALITER FACTIS CONTRA NONNULLA LOCA NOSTRORUM LIBRORUM DE AUXILIIS.

Primo ac præcipue notandum est, quod lib. 3 de Auxiliis interdum explicamus efficaciam divinæ vocationis ac prævenientis motionis, per analogiam ad vim et potestatem quam habet dæmon ad vincendum hominem suis tentationibus, et trahendum illum ad consentiendum sibi nisi divino auxilio fulciatur. Sic enim ex hoc ad illud argumentamur in dict. l. 3, cap. 10, num. 5, et cap. 11, num. 7, ubi verbum illud trahendi, quod habetur in illis verbis Joan. 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, exemplamur per alium locum Apocalyps. 2: *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum*; ut sicut hoc intelligitur de tractione per moralem persuasionem, et non per physicam prædeterminationem, ita et illud possit intelligi. Iterumque c. 4, n. 7 et 16, eodem argumento utimur ad explicandam efficaciam gratiæ. Ex quibus locis adversarii colligunt sentire non alia efficacia movere Deum homines ad bonum, quam dæmon moveat ad malum; et dum hanc blasphemiam imputant, nos vel nostram sententiam impugnare se existimant, vel certe cupiunt ut alii ita de nobis existiment.

Ad hanc vero objectionem, imprimis dicimus rationem illam explicandi, et manuducendi homines ad intelligendam excitationem et præviam motionem, seu directionem divinæ gratiæ, non esse novam neque nostram, sed a Patribus usurpatam, et ab eis desumptam. Insignis est locus apud Augustinum, lib.